

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

COMPLECTENS

MEDICINAE DYNAMICAE VESTIGIA IN MONIMENTIS VETERUM MEDICORUM OBVIA

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AUGUSTO

DUCE SAXONIAE PRINCIPE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE COMITE PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGAE REL.

CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
PRO
GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS IURIBUS PRIVILEGIIS ATQUE IMMUNITATIBUS RITE CONSEQUENDIS

A. D. IX. NOVEMBRIS CIↃIↃCCCXIV.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI PROPOSUIT

AUCTOR

IO. CHRIST. GUILIELM. REISIG
STOLBERGENSIS
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET SOCIETATIS DUCALIS MINERALOGICAE IENENSIS SODALIS.

IENAE
TYPIS SCHREIBERI ET SOC.

1814.



VIRO SUMME REVERENDO

IOANNI REISIG

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO PRAESIDI CONSISTORIALI ET PASTORI ECCLESIAE LUTHERANAE QUAE STOLLBERGAE ET ESCHWEILERAE CONGREGATA EST

PATRI OPTIMO

OMNI QUA DECET PIETATE USQUE AD CINERES

COLENDO

HAS

PRIMITIAS ACADEMICAS

D. D. D.

SE RESQUE SUAS

REVERENTISSIME COMMENDAT

FILIUS OBSEQUENTISSIMUS

IOAN. CHRIST. GUILIELM. REISIG.

INTRODUCTIO

Quantum eſt in rebus et opinionibus hominum inane! Quod praeceptum philoſophi ſuo tempore clari quoties mecum animo repeto, toties mihi humani imbecillitas ingenii dolenda videtur, quae naturae curioſos ſemper eo impulit, vt non veritati, ſed ſibi, non poſteritati, ſed vanitati nominis, non famae perpetuae, ſed gloriae periturae omnem impenderent operam, diligentiam, induſtriam, miraque tenerentur perſuaſione ſe nec falli, nec fallere alios poſſe. At vero nihil in rerum natura certum, nihil adeo ratum et firmum eſt, vt ſolo prudentum conſilio regatur, neque paſſim temperetur caſu fortuito, nullum doctrinae decretum, quod aliquis philoſophus vel olim, vel nuper ſcripſerit, adeo immutabile atque perpetuum eſt pronunciandum, vt deus Pythius iſta oracula nobis reſpondiſſe perhibeatur.

Idem illud ad medicos quam maxime pertinere cenſeo, qui ab Hippocrate dicuntur

ἰητροὶ συγκείμενοι ἐξ ἀδοξίης et *σοφιζόμενοι*, ab GALENO *σοφόν τι δοκοῦντες εὑρίσκειν καὶ ἁμαρτάνοντες*, et prae nimia ſapientia egregie deſipiunt. Quot enim ſomnia ſunt inde a priſcis ſeculis ad noſtra vsque largiſſime atque promtiſſima lingua effuſa! Quot ſuauia deliria in vulgus emiſſa, quae dudum, vt leuis fumus, iuerunt ad auras! Audeamus ſapere, ſed ne quid nimis! Eſt enim medicina vſu et experientia orta, non cogitatione philoſophorum anticipata, non ſpecioſis theoreticorum formulis informata, poſt experientiam demum inuenta et ſuperaddita eſt ratio, eaque coniunctione vtriusque naturali tandem itum ad eius perfectionem. Qua de re ſi quis ſequitur HIPPOCRATEM, medicum vetuſtiſſimum, eiusque imitatur aemulos, minus profecto labare in arte ſua poteſt, quam qui PLATONIS, poetae philoſophici, formas ſubſtituere fictas, ac perobſcuris verbis morborum origines colorare annititur. Ille enim viſa et reperta quidem refert ſine fuco et oſtentatione, hic vero haud raro intra ſe deſipit, et ſuauiter in rebus medicis delirat, ille factis vtitur ad perſuadendum, hic verborum lenociniis atque inanibus technis, tanquam ſcopulis, lectorum animos ad ſe attrahit, firmiterque tenet alligatos falſae ſcientiae ſpecie. Prudentis eſt rem quamque ex ſe aeſtimare, neque pendere ab aliorum arbitrio vel auctoritate,

ne vmbram pro corpore, nubem pro Iunone amplectatur.

Incredibili ardore ac ſpecioſo verborum ſtrepitu nuper diſceptatum eſt inter medicos atque philoſophos *de vita eiusque forma*, *de legibus organiſmi*, *de ideali vel reali viſorum demonſtratione*, *de medicina humorali*, *ſolidari*, *neruoſa*, *chemica*, ſed dum hinc illinc agitantur viri boni, his profecto licet illud poetae accinere,

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Haec enim argumenta vt illis in re ſua egregie diſertis multam rixandi, et in utramque partem diſputandi materiam offerunt, ita perexiguum lucrum ars medicinalis exinde ſolet capere. Plurimi eorum, qui nobile philoſophi nomen affectant, ſana hominum corpora vel nunquam, vel leuiter ſcrutati ſunt, et nihiloſecius organiſmi leges, vt aeternas, veras et immutabiles, ſcribere in vulgus audent, alii expertes artis et intra aedium cubicula ſatis docti morborum formas ſibi fingunt pro lubitu, et ſua freti licentia falſam Aesculapii formam prae ſe ferunt, alii curandi praecepta in medium adferunt probabilia, et diſcipulis e cathedra per otium dictant, tanquam certa et omni exceptione maiora, etiamſi aegros ne per quietem viderint, ecquis prudens et in arte facienda cautus ſequatur tales magiſtros, qui vanis verbis praeclari,

ſtrophis nobiles, re ipſa ad agendum ſtupidi et inertes ſunt?

Immenſa et olim, et nuper opinionum commenta valuerunt apud medicos, at nullum fere tenacius haeſit reformatorum animis, quam iſta quaeſtio,

veteres medici origines morborum
ab ſolis humoribus repetierint,
an etiam reſpexerint δύναμιν,
id eſt, vim quandam ſolidis
inſitam, ſine qua nec vita eſſe,
nec ſanitas conſiſtere, nec firma
morborum curatio fieri poſſit?

Ego vero miror iſtam diſputationem futilem, vanam, verboſam, ingloriam, adeo placuiſſe multis, vt, etiamſi veterum medicorum ſcripta nequaquam verſauerint, tamen rem incertam pro certa ſtatuerent, et omnem eorum *medicinam* fuiſſe *humoralem*, *non* vero *dynamicam*, paullo audacius apud vulgum et ineruditos homines contenderent. At repugnat auſis ipſa rerum natura, quia quidquid exſiſtit, cauſam ſui in ſe, vel in corpore vniuerſo habere debet, id eſt, in ſolidis et fluidis ſimul, repugnat etiam priſcorum auctoritas et fides, qui ab viſibili, id eſt, humorum vitio ad inuiſibile progreſſi aliquam corpori vim propriam ineſſe ſtatuebant, quae mala hinc inde imminentia ſtudeat auertere, ſeque a medicis in cura valetudinis bonae aduer-

ſaeque ſequendam eſſe iubeat, habent denique ipſorum ſcripta tales verborum floſculos, quibus ſolis eadem ſubeſt ſignificatio, quam nuperi ſibi ſolis vindicat.

Ex quo genere ſunt *calidum innatum*, quod irritabilitati *) recentiorum, fonti vitae ſtabili, fertur ad amuſſim reſpondere, *natura medica* et *medicus naturae miniſter*, *criſis febrium*, quae hac incitante, agente, repellente ac vacuante vi omnis continetur, nec non *methodus methodicorum*, quae fere alligata erat ſolidis, at horum actio ſine viribus inſitis eſſe non poteſt, etiamſi iidem medici veterem HIPPOCRATIS **) doctrinam fere negligerent. Reſtant alia, maximeque in his eminent *vis corporis et neruorum*, *vires integrae*, *validae*, *auctae*, *imminutae*, *deficientes*, neque apud CELSUM rara eſt formula, *pro viribus*, *ſi parum*, *ſi plus virium eſt*, *in hoc ars praecipua eſt*, *quae vires aeſtimet*, *ex viribus hominum colligendum eſt*, *vt vires conſeruentur*, *ali corpus debet*, *ne tabes pernicioſa futura id malum ſubſequatur* rel. His enim placitis medicos veteres

*) BALDINGER Progr. Veſtigia irritabilitatis Hallerianae in veterum monimentis, Gott. 1775. Eiusd. Progr. De malignitate in morbis ex mente HIPP. per recentiorum irritabilitatem et ſenſibilitatem, ib. 1775.

**) GALEN. contra IULIAN. p. 339.

eam vitae vim ac poteſtatem inſitam in morborum cognitione atque curatione nequaquam ignoraſſe ſatis intelligitur, et ſi qui ex his per θεώριαν aliter ratiocinarentur, aliis atque aliis vſi formulis, tamen, vbi ad lectulos aegrorum ventum eſt, hanc naturae poteſtatem et praeſcriptam medendi viam omnes ſecuti eſſe videntur. Noui vero homines, hiſtoriae medicae ignari, mentiuntur in publico, vt obſcurorum nouitate verborum lectoribus placeant, quos ſi intus et domi perſpexeris, cum aliis, quos ſpernunt alto ſupercilio, veteri via ambulant. Sed quorſum illa? Vt illi aliquando deſinant calumniari medicos veteres atque maiores, vt ſuum cuique ſeculo, ſuam cuique auctori cogitationem animi et colorem proprium praebeant, vt neminem laedant mortuum, niſi quae ipſe vel vere ſenſerit, vel ſua ſcripſerit aetate, ipſi lectione indefeſſa perſpexerint, vt ſua ſint ſorte contenti mediocrique doctrinae modo, ne ſuam ignorantiam apud doctos temere prodidiſſe perhibeantur.

Iam noſtri eſt rem ipſam ex actis perſequi, et exemplis indubitatis docere, quam vera ſit adfirmatio in contrarium, orſi ab philoſophorum decretis.

I.

Philosophi

Erat quidem his ſapientibus, etiamſi in varias irent partes, hoc tamen quam maxime perſpectum atque perſuaſum nihil exſiſtere in rerum vniuerſitate poſſe, niſi et illud habeat intrinſecus aliquam vim, per quam fierent omnia, ſed diuerſis nominibus atque formulis conſtabat omnis philoſophandi ratio. Si ex Stoicorum [1]) decretis omnia, quae viuunt, creſcunt, augentur, *igne* agitantur *inſito*, et donec ille intus remanet, etiam ſenſus et vita ſubſiſtunt, at calore illo imminuto vel exſtincto, corpora ipſa vel infirmantur, vel delentur, ſi PARMENIDES [2]) *ignem ſtatuit, qui moueat terram, quae ab eo formetur, calidum vero et frigidum contraria eſſe, generationem hominum ex ſole ortam, quatenus ipſe ſit calidus, ex quibus conſtant omnia*, ſi HERACLITUS [3]) eundem *ignem*

1) CIC. De Nat. Deor. II. 9. et SENECA Nat. Quaeſt. V. 6. dixit „animalia igne generantur, in igne aliquid vitale eſt.“

2) CIC. Quaeſt. Acad. IV. 37. DIOGEN. LAERT. De Vit. Dogmat. et Apohth. Philoſ. IX. 21. p. 568. et TENNEMANN Geſchichte d. Philoſ. Hauptſt. 1. Abſ. 4. p. 177.

3) DIOGEN. ib. Segm. 7. p. 551. TENNEM. ib. p. 215. C. G. KÜHN Diſſ. de philoſophis ante HIPP. medicinae cultoribus, Lipſ. 1781. repet. HECKER Kunſt die Krankheiten der Menſchen zu heilen, 1. Th. Erf. 1809. Einleit.

motorem rerum et cauſſam primam eſſe cenſuit, quae omnia penetret, augeat, concitet atque conſeruet, in quem omnia reſoluantur, neque effectum ſine viribus eſſe adfirmauit, ſequitur, vt hoc quidem verbo vim iſtam naturalem in corporibus eſſe nouerint? Si EMPEDOCLES 4) in elementis rerum quandam *amicitiam*, qua ſe inuicem lubenter attrahant, et ex altera parte *inimicitiam*, qua ſe iterum repellant, ad explicanda viſa et effecta adhibuit, profecto eandem vim inſitam ſe perſpexiſſe fatetur. Si LEUCIPPUS 5) et THALES 6) hisce verbis ſubſtituunt quandam *neceſſitatem*, quae regat omnia, ſi DEMOCRITUS 7) eadem neceſſitate omnia contendit fieri; et cum ISIDE 8) pro principio rerum atque artis auriferae iſthoc decretum conſtituit, φύσις τῇ φύσει τέρπεται, καὶ ἡ φύσις τὴν φύσιν νικᾷ, illi haud male conſentiunt cum medicis, ſi ANAXAGORAS 9) materiae oppoſuit aliquid ſubtilius, quod illam intime penetret, agitet cieatque in motum, alia quidem formula vtitur ad rem eandem ſignificandam. Si denique DIOGENES APOLLONIATES 10) *aerem* rerum et vitae fontem eſſe, omnia ex eo fieri atque contineri docuit, quid, quaeſo, hisce verborum formulis aliud philoſophi veteres ex-

4) DIOGEN. ib. L. VIII. 76. p. 538. et TENNEM. p. 245.

5) DIOGEN. ib. L. IX. 33. p. 568.

6) DIOGEN. ib. L. I. 35. p. 22.

7) TENNEM. l. c. p. 278. et CIC. De Fato c. 10. DIOGEN. l. c. Segm. 44. p. 573.

8) BORRICH. Chemicor. illuſtr. libellus poſtumus, Havn. 1697. §. 4. p. 5.

9) TENNEM. ib. p. 313.

10) Ib. et DIOGEN. L. IX. 57. p. 578.

presserunt, quam isthoc naturae praeceptum, nihil in vniuerso esse atque persistere posse sine quadam δυνάμει influente? Eodem modo Plutarchus[11]) sanitatem in quadam ἰσονομίᾳ τῶν δυναμεων posuit. Quod si verum et indubitatum est, sequitur, vt etiam medici et rationales, et empirici, et pneumatici, et eclectici hanc philosophandi rationem in demonstrando adhiberent, et vim quandam corporibus animantium hominumque dicerent esse innatam quasique ab origine informatam, quae vitam ipsam moderetur, atque in morbis auertendis vel curandis prima sit potentia.

Si Pythagoras[12]) aliquod *quiescens* et *motum*, *lucem* ac *tenebras*, vt contraria, literis consignauit, curnon medici eadem praecepta ad hominum naturam explicandam transtulerint? Non enim cogitari potest materia sine quadam impulsione, vt hinc in actum veniat, neque hominum corpora vigere, crescere atque valere possunt, nisi sit intus aliquid, quod concitet atque dirigat istam materiam, quo demum cunque nomine in vario philosophorum systemate veniat. Si Alcmaeon, philosophus Pythagoreus, fontem sanitatis quandam esse *harmoniam*, *morbum* vero *disharmoniam* proposuit, curnon curatio ipsa dicenda est illius consensionis proportionisque naturalis restitutio? Si Plato *disproportionem elementorum caussam morborum* esse voluit, et omnia animalium membra statuit in igne ac spiritu habere vitam, aliis verbis eadem narratur

11) Plutarch. Placit. l. vlt. c. vlt.

12) Diogen. l. c. L. XIII. 26. p. 508. Tennem. ib. p. 115.

fabula. Nam *ignis* ei eſt calor cordis proprius, *ſpiritus* calidum innatum, id eſt, vis impellens cor ad agendum.

II.

Hippocrates.

Hippocrates, vetuſtiſſimus medicinae auctor, inter alia *medicum* 13) iubet conari, vt *phyſicus* euadat, id eſt, naturae humanae ſcientiam ſibi comparet, ille vero in vitae cognitione morborumque origine conſtituenda more philoſophorum identidem vſus eſt quodam vocabulo technico, quod priſci et nuperi medici ad demonſtrandum adhiberent. *Natura*, *φύσις*, inquit, *omnia moderatur*, ſed qui varius eius ſenſus 14) apud auctores ſit, multis iam diſputare non attinet. Nobis enim ſatis eſt ad confirmandam doctrinae dynamicae vetuſtatem ea notio, magiſtro Galeno ſcripta, qua dicitur eſſe *vis omnis*

13) De priſca medicina §. 24. p. 27. et §. 36. p. 34. 35. T. I. ed. Lind. Pancr. Woeff Phyſica Hippocratica, qua exponitur hum. naturae mechanismus geometrico-chymicus, Lipſ. 1713. I. G. Bauermii Diſſ. phyſicam Hipp. exhibens, Herbip. 1729. c. 4. p. 9.

14) Vid. hac de re Foes. Oeconomia Hipp. voc. Φύσις p. 670. b. et G. F. Sigwart Fragmenta Dynamices Hippocratico-Galenicae ſparſis monimentis memoriae prodita, Tubing. 1759. Eodem ſenſu Oribasius (Anatom. ed. Dundass, L. B. 1744. p. 111.) ſcripſit, ἡ Φύσις ἀδενῶδές τε σῶμα δημιουργήσασα i. e. natura ſabrefecit glanduloſum corpus, pancreas. Cf. I. Fr. Houtii Diſſ. ſuſtin. vim vitae ſanitatem conſeruare, modo ea medico dirigatur rationali, Groning. 1749. et G. Heilmann Diſſ. Natura medicatrix philoſophiae et phyſices general. legibus aeſtimata, Wirc. 1798.

et facultas in nobis inſita corpus ipſum regens, virium inſitarum moderatrix, vis, quae per ſe mouetur, cauſſa exſiſtentiae, conformationis, actionis, et *nihil* 15) *intereſt, naturam, an facultatem dicas, innatam, an corporis vires.* Eoque ſenſu HIPPOCRATES 16) et humorum ſummum, et ſolidorum robur inter ſe coniungendum exiſtimauit, *naturam* 17) *ſponte agere, ſibique ſufficere in omnibus.*

Plena ſunt Hippocratea ſcripta huius *naturae medicatricis* praeconiis atque laudibus. Quam cum probe noſceret ille ſenex vſu multo expertus et in arte ſua praeclarus, non licet amplius dubitare, quin eam magiſtram medicinae theoreticae, ducem practicae habuerit, eamque rationem prudenter transulerit ad aegrotorum lectulos. Qua de cauſſa ſemper in ore habet naturam in medicina principem, hanc ait efficere corporum conſtitutionem atque temperiem, hanc eſſe humorum perfectricem et robur hominis, hanc eſſe veluti ſpiritum calidum ex ſe ipſo motum, qui hominem generet, perficiat, conſeruet, et in omnia membra potenter agat, hanc tollere omnem morbi eſſentiam, atque docere curandi viam, niſi vim corporis inſitam ille ſuperet, hanc vero auctam, ſtimulatam atque impulſam 18) artis peritis, quae vel facienda, vel omittenda ſint, demonſtrare rel. Ex his praeceptis, me quidem iudice, conſequitur, vt vel ab nimietate huius poteſtatis, vel ab defectu ortum valetudinis pu-

15) STRUTII Sphygmic. Artis V. 16. p. 358.

17) De Aliment. §. 4. p. 594. et 595. *conflaxio vna, conſpiratio vna, conſentientia omnia.*

16) De priſca medicina §. 39. p. 37. et §. 42. p. 40. T. I.

18) De Arte §. 22. p. 13. T. I.

taret esse repetendum, omnemque medendi rationem, vt contrariam efficienti caussae, huc prae aliis dirigeret.

Etiam ex hoc fonte natum et deductum est aliud decretum practicum, *medicina* 19) *est additio et detractio*, id est, consilium medici, quod vulgo dicitur indicatio, eo prae ceteris est referendum, vt vires corporis labantes erigat, deficientes subleuet, perditas restituat, nimis incitatas in aequabilem et moderatum statum reducat auferendo nocentia, et reuocando iustum partium aequilibrium. Si alio loco scriptum reliquit, *contraria contrariis curantur*, his quidem verbis, nisi tam stricte sumantur, eadem subest notio, id est, caussa morbi tolli debet iis remediis, quae eius vim noxiam vel infringant, vel omnino auferant, idque haud raro efficitur contraria medendi via. Tunc vero virium ratio semper ita habenda est, vt, si quando illae dilapsae ruant, arte medici superaddatur id, quod in corpore desit, et si nimis abundare videantur, ideoque noceant accessione, impetu vel vehementia, illae apto modo sint vel deprimendae, vel exaequandae. Idque 20) more suo, id est, exemplis practicis

19) De Flatib. §. 3. p. 401. T. I. Trilleri Progr. De aptiss. medicinae definitione ab Hipp. sapienter proposita, Vit. 1781. et Perill. Gruneri Progr. Commentar. ad locum Hippocratis, medicina est additio et detractio, Ien. 1800. Huc etiam spectat alius locus, (Aph. 23. Sect. 1.) „*quae prodeunt, non multitudine aestimare oportet, sed quamdiu prodeant, qualia oportet, et facile aeger ferat, si sufficiat aeger*" et iterum Sect. 2. Aph. 22. p. 73. *quicunque morbi ex repletione fiunt, euacuatio sanat, et quicunque ex euacuatione, repletio, et aliorum contrarietas.*"

20) Epidem. VI. Sect. 4. p. 809. T. I.

comprobauit, et *inter vigilandum*, inquit, *ſiti leui ſomnus medela eſt, ſiti vero ex ſomno vigilia.*

Haec vero artis praecepta tam clara et perſpicua ſunt, nihil vt magis, et omnis omnium ſeculorum medicatio huc inprimis directa eſt. Hoc enim fine putemus in medicinam introductam eſſe ſanguinis miſſionem, hirudinum et emplaſtri veſicantis applicationem, alui purgationem et ductionem rel. vt huic naturae imperio medici de tempore ſatisfacerent, hac dictatoria naturae lege nitrum, camphora, moſchus et id genus alia medicamenta ſunt in vſum vocata, vt hoc more ſalubri etiam aegrorum ſalus eſſet ſalua. In quo ſi quando ſinguli medici hinc inde errauerint, ſpreto virium moderamine, hoc quidem non artis erat, ſed artificis vitium.

Eodem modo HIPPOCRATES nominat πῦρ σύντροφον [21]), ignem inſitum, quem natura ſtimulata commoueat, et *aerem* [22]), qui ſenſum et motum *membris exhibeat*, isque cum *ſpiritu* [23]) impellente idem eſt. Si idem ille alicubi [24]) ſcripſit „*qui creſcunt, plurimum habent innatum calorem, plurimo igitur opus habent alimento: Sin minus, corpus conſumitur. Senibus autem modicus eſt calor, quapropter paucis fomentis opus habent: A multis enim exſtinguuntur. Ob hanc etiam cauſſam febres ſenibus non ſimiliter acutae ſiunt. Frigidum enim eſt ipſorum corpus,*" ſi alio [25]) loco ita ſtatuit „*quibus plurimus calor eſt, maxima*

21) De Arte §. 22. p. 13. T. I.
22) De Morb. Sacr. §. 8. p. 333. T. II.
23) Ib. et PROSP. MARTIAN. in Comment. h. l. p. 125.
24) Aph. 14. Sect. 1. T. I.
25) Epidem. VI. Sect. 4. p. 809. T. I.

voce praediti ſunt, ventriculo calidi ſunt, carne frigidi, et tenues, et venis eminentibus" quid, quaeſo, illa verba practica ſignificant aliud, niſi hoc, vbi calor inſitus eminet, ibi viget actio, vbi maius corporis frigus eſt, ibi impotentia membrorum et debilitas ſubeſt? Haec vero actio ſine ratione quadam in homine viuo non eſſe poteſt, ergo illud principium impellens, et illud calidum innatum cum vi vitali medicorum, qui hac noſtra aetate viuunt, omnino idem putandum eſt. Etenim in corpore noſtro quaedam vis agens et incitans ſenſibus facile percipitur, quacum et vita, et ſanitas mire conſpirant, qua imminuta, etiam imminuitur corporis ſubſtantia, firmitas, agilitas, qua ſublata, interitus corporis eſt in proximo. Eodem modo legitur apud Hippocratem 26) *affectio per conſenſum ex moerore inducta quidem ex alterius conſenſu vexantur*, et iubetur medicus *conſeruare naturam, non mutare, vigor aetatis omnia habet gratioſa, decrepita vice verſa, aetati, cum paruum eſt aliquando ſubiectum, valde magna vis ineſt*, etiam memorantur *affectuum inter ſe coniunctiones* 27), *congreſſus cerebri* 28) *cum reliquis partibus, et magna partium conſenſio* cet. ideoque relinquitur doctrinae dynamicae vetuſtas.

Si Hippocrates 29) ſedulo a ſe inuicem diſtinxit ,,*continentia, contenta, in motum cientia*" illud ἐνορμῶν, quod more ſpiritus celerrime percurrat corporis membra, et intus agat pro ſalute

26) De Praecept. §. 13. p. 67. et §. 8. 11. p. 65. T. I.
27) Epid. VI. Sect. 7. p. 816. T. I.
28) De Glandul. §. 9. p. 419.
29) Ib. Sect. 8. p. 819. et Kauw. Boerhave Impetum faciens dictum Hippocrati, Amſtel. 1744.

hominum cum conferuanda, tum reftituenda, quod in morbis quam maxime fuam exferat efficacitatem, atque crifes febrium inducat faluberrimas, nihil profecto, me iudice, id aliud effe poteft, quam ifta vis infita, quam nuperi medici variis nominibus fibi foli vindicant, veteribus temere denegant. Si hominis natura continetur quadam folidorum vi, quae conferuationem fui perpetuo faciat, fi, eodem auctore, cauffa mortis 30) in eo ponitur, quod ifthoc calidum actu definat, et corporis refolutio 31) in eas partes, quibus compofitum prius erat, illico adferat interitum, tunc profecto fola relinquitur vis vitae nobiliffima, quae cum ratione faciat motus in corpore viuo, fed adftricta tamen regulae cuidam ac normae dirigat omnia in falutem hominum.

Si Stoici *naturam gubernantem* ftatuunt effe in corporibus, quae faciat rerum ortum atque interitum, nihil, fi quid video, intereft, vtrum ea cum Seneca 32) perhibeatur effe *fpiritus innatus*, *tenuior* atque *facilior materia*, *per omnia membra*, donec vita fupereft, abundanter *diffufa*, an cum Erasistrato diuifim diftinguatur πνεῦμα ζωτικὸν et ψυχικὸν, an dicatur cum Hippocrate 33) *calor infitus*, πῦρ σύντροφον, tamen femper eo redit res omnis, vnde digreffi fumus. Omnis enim difcrepantia in verbis auctorum variis latet, in re ipfa minime.

Neque aliqua doctrinae huius fupereft dubitatio, fi ad mentem reuocemus aliud Hippocra-

30) Aph. 18. Sect. 8. p. 111.
31) De Natura Homin. §. 4. 5. p. 266. T. I.
32) Epift. 50.
33) De Arte §. 22. p. 13. T. I.

TIS 34) decretum „*naturae morborum medicae.*" Eodem loco pro interpretamento ſubiicitur „*natura non edocta, nec magiſtra vſa ea facit, quae opus ſunt*" haec vero ita explicanda eſſe cenſeo, vis illa corporibus hominum ab ortu primo ingenerata, et per omnes partes ſic diſtributa eſt, vt certis legibus agat in hominum ſalutem, atque caueat omnino, ne ab rebus extrinſecus incidentibus temere laedantur, vt res inſalubres ſine mora expellantur, ſalubres vero cedant in commodum corporis, vt medicamenta, quatenus iſtam naturam concitant, pro reſtituenda valetudine plurimum valeant, vt multa morborum genera iſta naturae vi ſponte abigantur, et haud raro ſibi commiſſa in deſperatis aegris ſine medicorum cura deſinant.

Quid ergo proprie eſt *natura medica* aliud, quam ſumma virium corporis? Quid natura reſpectu medici eſt aliud, quam promta earundem virium exploratio, libratio, aeſtimatio, iudicatio, moderatio? Si quaeritur, iſta praecepta vera ſint, nec ne, inſpiciamus in hominum vitas, mores, morbos, neque nobis adfirmantibus deerit applicatio veritatisque ſigillum. Corpus noſtrum per annos tanta eſt praeditum agilitate ac mobilitate partium, nihil vt magis, et tamen inter innumeras noxas atque calamitates, quae extrinſecus accidant, diu manet integrum. Communis eſt omnium membrorum actio tantaque ad vnum conſpiratio, vt in communem vſum demum concedant omnia. Edimus, bibimus, ſponte excernimus, ſed vnde illa viſa et euenta profluunt? Intus eſt Hippocratica natura ſiue vis quaedam

34) Epid. VI. Sect. 5. p. 809.

innata, quae ſumta reſoluit, miſcet, loco ſuo aptat, bona recipit, inutilia reiicit, cor et vaſa ſtimulat varieque dirigit, pulmonem viciſſim extendit iterumque relaxat, ne deſit ſpiritus reciprocatio ad vitam ſuſtinendam perneceſſaria. Patent corpora hominum multis iniuriis, quibus varia membra vehementer afficiantur, vexentur, conterantur, collidantur, adſunt vulnera, vlcera, fracturae, inflammationes, ſed intus eſt vis illa prouida et inexplicabilis, quae ſuppuratione ſpontanea partes laeſas et emortuas ab integris repellit, quae noua lympha implet ſpatia corporis vacua, et ſuppetias fert perditis, quae ſciſſa iterum compingit, hiantia reſarcit, amiſſa redintegrat, mollia et fluxa conſolidat. Tollamus hancce naturae poteſtatem medicam, et irrita erit omnis chirurgorum opera. Vrget et inſtat vehemens ſanguinis impetus, vt omnia in peius ruere videantur, et ſummus vitae perdendae metus ſit, iam adſunt quaſique aduolant in ſubſidium haemorrhagiae ſpontaneae, quae omne periculum vitae mortisque diſcrimen auferant. Moleſta eſt ventriculo cruditas, ſed illa vomitu ſpontaneo vel alui fluore expellitur. Si deeſt corpori ea materia, quae pro nutrimento valeat, illico ſuccurrit fames, vt durus et importunus creditor, ne vires hinc prorſum collabantur temereque pereant, ſi deſunt humida, ſitis hominem vrget ac monet, vt potu ſuppleat, quantum opus eſt. Cutis ab irritamenti vehementia in motus inconditos et ipſas conuulſiones acta, homine inuito vel inſcio, ſic percellitur, vt poſt ſtricturam malignam ſalubre meatuum laxamentum, vnaque ab ſudore copioſo malorum leuamentum inſequatur.

Quorſum illa? Vt HIPPOCRATEM medicinam dynamicam et cognitam habuiſſe, et in morborum curatione prae ceteris obſeruaſſe, hac ſimplici dictorum narratione omnes quidem medici intelligant. Eſt enim iſta *natura medica* omnium princeps, ſine qua nec vita et ſanitas hominis conſiſtere, nec labans valetudo firmari, nec aduerſa tolli poſſit, haec ſola eſt corporis omnisque materiae moderatrix, haec medicinae theoreticae parens, practicae domina, rectrix, effectrix, ideoque nec iſtam doctrinam, ab vera morborum obſeruatione ſumtam et deriuatam, nuper demum a medicis philoſophis eſſe inuentam, excogitatam atque in artis ſyſtema ſpecioſe illatam ſtatuimus.

Omnis ergo *medicina Hippocratica*, ſi ad experimentum et vſum referatur, dicenda eſt *dynamica*, et iſta morborum epidemiorum 35) explicatio, quam natura dictauit, obſeruatio crebra confirmauit, ASCLEPIADES reformator illepide nominat *mortis meditationem*, meo quidem iudicio viuam continet imaginem, quid natura corporum in ſanis et aegris valeat, quid ferre recuſet. Neque iam refert in contrarium adferre, quod in ceteris libris Hippocrateis cauſſa et origo morborum ab humidis fere repetatur. Illi enim partim non ſunt eo nomine ac loco 36) digni, etiamſi aetatis priſcae, partim iſta cauſſa ſecundaria et facile memorari, et etiam defendi poteſt, cum in ſenſus ipſos, inuitis nobis, incurrat, atque

35) Cf. Prognoſt. c. Epid. libr. vt veritati ſua conſtet auctoritas, COPE Demonſtratio med. pract. Prognoſt. Hipp. ed. BALDING. Ien. 1772. et AUBRY Oracles de Cos, à Par. 1776. verſ. germ. Leipz. 1787.

36) Vid. Perill. GRUNERI Cenſura libror. Hippocrateorum, Vratisl. 1772.

ſimul cum illa principe in corporibus hominum accidat. Hoc ergo vinculo, hac coniunctione ſolidorum ac humidorum naturali continetur omnis indicatio therapeutica.

Reſtat doctrina de *criſi*, quae, auctore atque magiſtro Hippocrate, orta, fundata et legibus certis adſtricta eſt. Haec[37]) vero ſiue dicatur ſubita morbi mutatio in melius vel peius, in ſalutem, mortem vel morbum alium, ſiue habeatur ſubita perturbatio ſolutionem febris plenam antecedens, vel vehemens ſymptomatum variatio, quae et perfecte liberet a malo, et eius vehementiam quodammodo mitiget, ſiue perhibeatur eſſe acceſſio febris aucta et ad ſummum deducta, ſub qua alius eius ſtatus producatur, ſemper tamen reliqua eſt eadem et ſignificatio rei, et explicatio. Non enim fieri poteſt criſis, niſi cum exacerbatione[38]) morbi, ſed in euentu certo quam maxime cernitur eius veritas, quippe ratio commoda in ſolo virtutis vitalis incremento ad febris finem efficiendum verſatur, et in eiusdem moderamine iuſto ac vſu ſpectatur medici praeſtantia, in felici exitu iſta virium conſtantia ſuperior contra morbum, in triſti vero inferior fuiſſe cenſetur. Hanc ille medicorum vetuſtiſſimus, vt verus artis antiſtes atque magiſter, viſis ac euentis crebris ſolide deſcripſit, hanc ex ſignis antegreſſis certam fecit, hanc ad dies ſuos reduxit, nihilque in hac

37) Foesii Oecon. Hipp. p. 357. ſeq. Baldingeri i. Eckhardt Diſſ. Veritas doctrinae criſeos Hipp. Marb. 1796.

38) Apud Hipp. Prorrhet. illa dicitur ἀρετὴ σώματος, cf. Ueber Lebenskraft, Heilkraft der Natur, Rohheit der Krankheitsmaterie, Kochung, Kriſen u. kritiſche Tage, Hecker in Journ. d. Erfind. St. 38. 40.

doctrina posteris fecit reliquum, nisi attentam imitationem sedulamque praeceptorum obseruationem.

Quae cum adeo firma sint, vt ne per secula quidem verbis nouatorum ludicris atque subtilibus omnino deprimi, vel ex animis medicorum prorsum eximi potuerint, quidni HIPPOCRATEM medicinae dynamicae auctorem atque statorem perlubenter appellemus? Nulla enim exsistit crisis, nisi cum iusta virium consistentium et augescentium cognitione, aestimatione, applicatione, omnes eius notae sunt ab tempore febris, modo, adiumento vel detrimento sumtae, crebro adspectu iterum iterumque stabilitae, tandemque ab posteris in quandam artis formam redactae. Noui ergo medici bono seni isthoc inuentum temere inuident, non malo quidem animo, sed persuasione falsa: Eius enim monimenta graeca sunt, hodieque nec leguntur, nec intelliguntur scilicet.

Neque ab hisce praeceptis Hippocrateis omnino decesserunt eius adseclae. DIOCLES CARYSTIUS 39) animalia ex duobus fieri statuit, ἐκ τοῦ φέροντος, id est, facultate quadam, quae impellat et regat corpus, atque ἐκ τοῦ φερομένου, id est, corpore siue solidis, quae ab ista vi ingegenerata in actum et motum concitentur, deinde PHILOTIMUS 40) scripsit arteriis inesse *spiritum insitum*, quo sanguinis fiat circuitus, haec vero literis mandare non poterant, nisi *medicinam dynamicam* eis notam ac mentibus impressam fuisse concesseris.

39) GAL. Comm. II. in HIPP. Prognost. Text. 6. p. 623. T. VIII. ed. Chart.

40) GAL. De HIPP. et PLATON. Placit. VI. 7. p. 177. T. V.

III.

Galenus

Iungamus cum illo artis principe alterum medicinae conditorem, GALENUM, virum per secula clarum, et prae ceteris doctum. Hic enim eadem de *crisi*[41]) praecepta habet, eamque doctrinam in libris semioticis et commentariis Hippocrateis abunde stabiliuit, exemplis illustrauit et auxit, suaque confirmauit experientia. Est enim ei semper in promptu ista δύναμις, quae corporibus ipsis inhaereat et sponte agat, est substantia quaedam efficax, quae interdum fiat in morbis imbecilla, neque sufficiat ad salutem aegrorum subleuandam, hinc morbos esse letales, qui vim vitalem corporis superant, est etiam ei ratio virtutis omnis, quae regat animalia, et obluctetur omni praeter naturam caussae, per quam laeditur aut corrumpitur viuens animal, est ea quasi artifex, quae superet materiam morbosam, eamque tentet adaequare nutritioni commodae, et simul eiicere inutilia cet. Haec enim GALENUS, ni omnis fallor, multis verbis scribere nullo modo poterat, nisi, quae illa insita vitae vis sit, quidue in corporibus hominum valeat, ad lectulos aegrorum rite perspexerit.

Adferamus ex multis aliqua exempla, ne quid temere contendisse videamur. *Tentat natura propriis vsa viribus*, inquit ille,[42]), *adaequare alimentis, quidquid adhuc boni superest, et excernere simul inutile*, (ergo hinc repetiit omnem concoctionis rationem) in morbis supe-

41) HENCKE Darstell. u. Kritik der Lehre von den Krisen. Nürnb. 1806.

42) De Different. Febr. II. et Therap. ad GLAUCON. II.

randis *vis vitae conflictatur et colluctatur* 43) *contra ea, quae adfligunt, donec eiecerit omnia, vis vitae* 44) *habet veluti luctam aequipollentem*, medicum *oportet* 45) *magnitudinem morbi, et robur virtutis bene cognoſcere, et futurum ſtatum morbi* (ἀκμὴν) *praeuidere, ſine exquiſita horum cognitione nihil poteſt de ſalute inueniri, vis vitae* 46) *interdum ſit debilis ob malum corporis habitum, vel propter ſenectutem, ſi morbus* 47) *per longius tempus manſerit crudus, metuendum eſt, ne homo pereat, niſi vim habeat morbo reſiſtentem et fortiſſimam, natura* 48) eſt *facultas corporibus inſita ſuperata materia* 49) *determinata paritate ac certis circuitibus eius motus fiunt*, in criſi *vincit vis* 50) *impetu motus, ſudores critici* 51) *vtique indicant naturam robuſtam, non autem reſolutam febrium continentium* 52) *ſtatus non vltra ſeptimum diem futurus eſt, ſi vis* (vitae) *robuſta eſt, et aetas conſentit, ſin vero iſte ſtatus vltra ſeptimum incidit, vires non ſunt bene valentes*, denique ab eo nominatur *vis pulſans* 53) *valens*, et *motus inſitae virtutis* 54), *vis excretoria et ſecretoria, et inſtar architecti atque artificis agit, diarrhoea fit ab defectu vel imminutione virtutis inſitae* cet.

43) De Cauſſ. Sympt. V.
44) Comm. II. in Progn. Hipp.
45) De Criſ. III.
46) Method. Med. X.
47) Comm. II. in Progn. Hipp.
48) Comm. V. in l. VI. Epid.
49) De Dieb. crit. II.
50) De Loc. Affect. III.
51) Gal. De Cauſſ. Sympt. II. 2.
52) Gal. Therap. ad Glaucon. I.
53) Method. Med. II.
54) De Cauſſ. Sympt. I.

Haec vero praecepta non ratione vana, ſed vſu ſatis confirmata pro argumento ſunt habenda, ne quis priſcis medicis hanc naturae poteſtatem corporibus hominum inſitam omnino ignoraſſe paullo audacius profiteatur, irrita eſt nuperorum argumentatio in contrarium, cum Galenus ſua ſenſa et placita iterum iterumque expreſſerit.

Neque adeo obſtat, quod humida morboſa ceterasque res nocentes in demonſtrando ſimul admiſerit: Eſt enim iſta virium et materiae conſociatio in natura rerum et corporum ſatis ſuperque fundata. Si eius reſpicimus phyſiologiam, illa quidem tota verſatur in viribus corporum inſitis bene aeſtimandis, quarum miniſterio fiunt omnia. Hinc orta eſt peruetus diuiſio in actiones vitales, animales et naturales, neque iam refert multis exquirere, indubia ſit illa, iuſtis circumſcripta finibus et omni exceptione maior cenſenda, nec ne. Nobis enim hoc loco ſatis eſt exinde paucis probare, quod auctor ille ſua quidem aetate doctiſſimus, ſcientia praeſtans, arte medica certus, magiſter per ſecula clarus, qui, cum pulſum cordis ab vi vitali vnice repeteret, eumque diceret ad arterias ferri impulſore quodam *ſpiritu*, item cum vires animi in eo maxime poſitas eſſe contenderet, ſequitur, vt probe perſpexerit vim vitae propriam, et eadem praecepta tenuerit ante nuperos medicos. Nominat etiam *vim concoctricem*, *conſeruatricem*, *attractricem*, *retentricem*, *alteratricem*, *expultricem*, eamque diſtinctionem adhibet, vt varias partium actiones et agendi modos probabiliter explicaret, nominis ratione ab adſpectu et euentu ſumta. Eaque ſingulis organis ineſt conformatio atque expreſſio, vt per ſe ac natura ſua ſtimulum extrinſecus ad-

uenientem recipere viciſſimque repellere poſſint. Neque haec claſſica virium aeſtimatio et diviſio eſt adeo ridenda, vt nuperi medici ἰδιόγνωμονες fecerunt: Ipſi enim iterum iterumque verbis ac ſcriptis ſuis repetunt vim vitae propriam et viſceribus ſingulis inhaerentem, quin ipſi ſanguini eam, vt priuam, attribuunt.

Denique actionem muſculorum ſolo antagoniſmo fieri profitetur, ideoque prae aliis dicendus eſt iuſtiſſimus *medicinae dynamicae* interpres, defenſor, propagator. Is etiam *criſium leges* obſeruatione docta ſcripſit, ſuis commentariis illuſtrauit, is in ipſa curatione morborum aperte docuit vires aegrorum potiſſimum eſſe attendendas, eoque dirigendum omne medici conſilium, vt vel ſeruentur integrae, vel periturae lapſaeque cardiacis excitentur remediis. His ergo commotus argumentis, quae plurima in ſummi viri ſcriptis leguntur, equidem cenſeo fuiſſe GALENUM eo maiorem medicum, quo certior eſſet eius de naturae vi propria perſuaſio. Cetera, quae paſſim immiſcuit gloriolae captandae, vel eruditionis iactandae gratia, ad theoriam in primis pertinent, ad praxin minime, facileque condonanda ſunt homini magni ingenii et fiduciam magnarum rerum habenti: Nihil enim ſua confeſſione ſibi detraxiſſe apud doctos et expertos medicos videtur.

IV.

Secta pneumatica.

Haec vero nomen 55) ſuum accepit ab quodam *ſpiritu*, (πνεῦμα) in quo vitae, ſanitatis morbique ratio continetur. Hic quidem ab medicis rationalibus poſt HIPPOCRATEM in medicinam introductus et ita ſtabilitus erat, vt illum ab calore quaſi euocari, et in materiem corporum, tanquam poteſtatem viuatam, ingredi putarent. Hunc ERASISTRATUS duplex eſſe ſtatuit πνεῦμα ζωτικὸν (*Lebenskraft*) quod in corde reſideret, et ψυχικὸν, (*Nervenkraft*) cuius in cerebro eſſet ſedes, vtriusque vero actio mutua, eodem auctore, et ſanitatem, et morbum conſtituit. Idque principium Pneumatici more Stoicorum primum penetrans et agens in corporibus animantum eſſe profeſſi ſunt, a quo ſi eſſet recte conſtitutum, ſanitas fieret, et ſi hinc inde offenderet quaſique deflecteret, morbus procrearetur.

Quibus praemiſſis, ſenſus huic verbo technico ſubeſſe alius non poteſt, niſi ab re ipſa fluens, id eſt, ſpiritus vitalis, vegetus, alens et concitans omnia, vel vis quaedam corporibus hominum inhaerens, per quam omnia, donec viuimus, fiunt atque peraguntur. Si pneumatici pulſum hinc natum variatumque eſſe cenſuerunt, eandem profecto narrant fabulam, et doctrinam verbis doctis confirmant perueterem. Si ATHENAEUS 56) in *elementis* ait eſſe *inſitam naturam*, nomine alio ſuam venditat qualitatem, ſi pul-

55) GAL. Introduct. p. 373. et OSTERHAUSEN Diſp. exhib. ſectae pneumaticor. medicor. hiſtoriam, Altd. 1791.

56) GAL. De Element. I. p. 52.

ſum 57) ſtatuit eſſe motum caloris, qui in corde arteriisque contineatur ex ſe ipſo in ſe ipſum agens; ſi fortem pulſum putat eſſe ſignum virtutis vitalis conſtanter agentis, nulla profecto dubitatio de ipſius rei notione, ſed de ratione ſola ſupereſt. Si AGATHINUS 58) pulſum plenum fieri ſcripſit ab huius ſpiritus copia, quae arterias citiſſime extendat, quaſique tenſas teneat, ſi ARCHIGENES 59) pulſum durum communem febrium comitem appellat, ſequitur, vt illi quidem medici iſtam vitae vim agentem atque incitantem omnino cognouerint. Si ARETAEUS 60) more HIPPOCRATIS diſtinguit *ſolida*, *fluida* et *ſpiritus*, a quorum proportione ac mixtione pendeat ſanitas, ſi cor ſedem virtutis 61) vitalis, et huncce ſpiritum fontem morborum eſſe exiſtimat, ſi vbique commendat medicis reſpectum naturae virium, quid, quaeſo, impedit, quo minus in his auctorum verbis atque decretis *medicinae dynamicae* veſtigia relata et probata eſſe ſtatuamus?

Eandem pneumaticorum ſcholam ſequitur CASSIUS Iatroſophiſta 62). Nam et ipſe *vitam* deriuat ab iſto agente *ſpiritu*, aſphyxian ab ſpiritu vacuato et deficiente, febrem ab ſpiritu per aeſtum tenuato et in actum citum delato, nonnunquam etiam ab calido innato more dogmaticorum repetit. Neque abhorret ab iſtis formulis HERODOTUS, AGATHINI diſcipulus. Is enim

57) GAL. De Different. Pulſ. III. p. 53.
58) Ib. L. IV. p. 42.
59) GAL. De Different. Febr. I. p. 326.
60) De Cauſſ. Acut. Morb. II. 3. p. 16.
61) De Curat. Morb. Diuturn. I. 4. p. 121.
62) Natural. Quaeſt. ed. RIVIN. Lipſ. 1653.

vim medicamenti ſudatorii 63) dum cenſet eſſe in ſpiritus incitatione quaerendam, idem eſt, ac ſi diceret intus in corpore latere quandam vim inſitam, quae concitet ſolida, eorumque augeat actionem, ſi de *lauacro* adhibenda ita ſcribit „*ſi calidiore interno aere indigemus, ad hoc auxilii genus accedendum eſt. Vrna aquae frigidae inſtillanda ignitae materiae: Calor enim, qui inde emanat, non multo tempore perdurat, ſed cito reſtinguitur, quocirca id paullo ante introitum aggrediendum eſt*" tunc eodem modo, quo nuper Currie, perfuſionem frigidae, vt virtutis vitalis excitandae medicinam, commendare voluit. In eadem ſententia eſt Seneca 64) ſtoicus. *Quid aliud eſt, inquit, quod tenet corpora, quam ſpiritus? Quid eſt aliud, quo animus noſter agitetur? Quis eſt ille motus, niſi intenſio? Quae intenſio, niſi ex vnitate? — Spiritu illo, qui omnibus animalibus ſatis calidus eſt: Nihil enim viueret ſine calore.*

V.

Medici poſt Galenum

Miſſa hac pneumaticorum ſecta, quae rationem artis aliam ſequitur, ſed idem illud de virtute naturali decretum non negligit, paucis videamus de reliquis medicis, quae poſt Galenum, ſummum virum, claruerunt. Negat Magnus,

63) Oribas. Collect. medicinal., l. XVII. interpr. Rasario, Ven. ap. Ald. ſ. a. L. X. 4. et 5. p. 375. Eadem de balneo frigido ſcripſit Agathinus ib. c. 8. p. 382.

64) Quaeſt. Nat. II. 6.

Antiochenus, medicos 65) posse aegrotos in pristinam sanitatem restituere. Quod paradoxon si verum putes, tunc redit omnis disputatio et curandi ratio ad vim vitae residuam, quae vel sponte agat pro salute hominum, vel coacta medicamentis incitantibus noxas ex corporibus expellat. Qua demta, vel nimis prostrata, aeger est deploratus, neque ars medicinalis aliquid valet. Eodem modo AETIUS 66), Amidenus, magni facit illam naturae vim in febribus acutis abigendis, cum expresse dicat, *primum et maximum signum aegri sine crisi morituri est summa roboris infirmitas: Neque enim insurgit ad luctam.* Etiam ALEXANDER Trallianus 67) morborum origines quaerit in spiritibus varie mutatis, et in morbis acutis virium naturae 68) rationem prae ceteris habendam esse iubet. Neque PALLADIUS 69) adeo dissentit. „*Febres post horrores consequuntur naturae prouidentia. Natura enim prouida, quae intus est, velut optimus medicus, excogitat febrem, et corpori prouidet,) vt excoquat et expellat caussas efficientes atque materiales. Cum ergo plurimum sanguinis colligitur in imo corpore, duplicatur calidum cordis innatum, quasique calidum ac igneum factum excitat et incendit febrem per arterias in vniuerso corpore.*" His vero verbis, demta ratione veteri, sensus est, per vim cordis vitalem et concitatam ipsa febris persanatur. Huc etiam pertinet THEO-

65) PHILOSTORG. HIST. Eccles. VIII. 10. p. 524.
66) Tetrabibl. II. Sect. 1. c. 8. p. 86.
67) Therapeut. I. 11. p. 31. et L. VII. 13. p. 397.
68) Ib. L. I. 10. p. 19.
69) De Febrib. L. B. 1745. ed. Bern. c. 26. p. 87.

PHANIS NONNI 70) praeceptum, *medicina, ſi hepar non valet chylum ad ſe rapere propter imbecillitatem facultatis retentricis*, et aliud, quo vertiginem fieri ſcripſit ab vaporibus ſpiritum animalem adficientibus, et ſimul nominat ſubitum virium collapſum, hoc certe modo priores imitatur medicos. Sequitur Io. ACTUARIUS 71), qui cum de ſpiritibus vitalibus, animalibus atque naturalibus copioſe diſſerit, perueterem doctrinam de vi vitali, vt indubiam, confirmat. Huic decreto ſubſcripſit *Syneſius* 72), medius inter Graecos et Arabas medicus. Qui cum dixiſſet febrem ephemeram oriri *ab excalefactis ſpiritibus ſine materia et putredine*, hanc quidem explicationem ſuperaddidit „*ſpiritus voco, primum vitalem ſpiritum, qui eſt fons vitae* et *caloris innati materia*, *alter eſt animalis, ſenſus ac motus fons, tertius naturalis, qui eſt fons virium quatuor naturalium, attractricis, retentricis, concoctricis et expultricis*" vſus GALENO magiſtro, et, quanta ſit illa vis inſita nomine quidem varia, ſed effectu tamen eadem, ſatis ſuperque oſtendit. Praeter haec iterum iterumque repetit veterem formulam 73), *ſi vires aegri ſunt bene diſpoſitae, ſi vires ſunt exiguae, ſi vires adhuc operantur, ſi natura propter virtutis vitalis impotentiam negligat ventris vacuationem* cet. ideoque virium habendam eſſe rationem iubet. Vltimo DEMETRIUS

70) Epit. de curat. morb. c. 186. p. 100. T. II. ed. Bern. et T. I. c. 35. p. 143.

71) Oper. Pariſ. 1556. L. De Action. et Affect. Spirit. Animal. huiusque nutritione p. 1. ſeq.

72) De Febribus, ed. BERNARD, Amſt. et L. B. 1794. p. 7.

73) Ib. c. 3. p. 137. 139. et c. 6. p. 189.

Pepagomenus 74) in ſcenam producendus eſt. Is enim in ſánanda podagra naturam ſuadet eſſe maxime attendendam, ideoque ſuo quidem exemplo abunde probat aetate ſeriores Graecos naturae Hippocraticae vim atque praeſtantiam cognitam habuiſſe, et in vario theoriae curſu tamen practicos medicos ad eam, tanquam ad anchoram ſacram, confugiſſe, inter omnes conſtare arbitror. Hi enim, ſi qui alii, vbi ad aegrorum lectulos ventum erat, vel inuiti cogebantur ad veritatem huius decreti adſumendam, et ſi forte hinc inde aliqui rei veteri alias atque alias ſubſtituerint formulas, ne in verba magiſtri iuraſſe viderentur, illis idem, quod nouis medicis, accidit, de verbis, de fama et auctoritate ſua acerrime diſputarunt ſcilicet.

Nuper etiam quaeſitum eſt *de vita* eiusque forma et agendi modo, et alius alium ſenſum rei per ſe certae ac in vulgus notae ſubiicit. Vt quis ceteris paullo doctior atque ſubtilior eſſe perhibeatur, aliam aliamque *philoſophiam* in explicando ſequitur. Hoc vero commune hominum doctorum vitium, haec etiam apud priſcos medicos erat peruulgata opinio. Habebat enim quaeque ſecta ſua lenocinia verborum et delinimenta, vt lectoribus noua placeret interpretatio. Quae vt ſuauiter influeret in aures atque animos, pro more quisque vtebatur philoſophiae domeſticae formulis. Hinc modo ſubtilia Peripateticorum praecepta, modo ſuauia Platonicorum ſomnia, modo rigida Stoicorum decreta, ſeriori demum aetate etiam Neoplatonicorum delira-

74) De Podagra, ed. Bern. L. B. 1743. c. 7. p. 22.

menta in medicina ſummae auctoritatis fuerunt, paucisque viris licuit eſſe tam felicibus, vt iſthoc ſcholaſticorum iugum vel omnino fugerent, vel magno decuterent animo. Sed haec fere pertinent ad rationem, (vulgo theoriam nominant) neque vero inter hos mentis humanae errores prorſum apud medicos euiluit per longam ſeculorum ſeriem veriſſima naturae Hippocraticae notio, quae vitam omnem dirigat, rerum nocentium vim declinet vel auertat, atque excitando vires corporis innatas et morborum diſcrimina, et mortem ipſam ſponte propulſet. Sic certam ac ſtabilem *medicinam dynamicam in ſcholis medicorum Graecorum* exſtitiſſe cenſendum eſt.

VI.

Medicina Arabum.

Perſequamur eadem via, quam hactenus ſecuti ſumus, naturae Hippocraticae veſtigia, vim et poteſtatem apud Arabes, ſed hic loci ſpineta et dumeta philoſophorum caedenda prius ſunt, quam ad phyſiologiam et praxin medicorum diſcurramus. At vero et illi habent more Graecorum quendam *ſpiritum* 75), a quo fiant et dirigantur omnia in hominum ſalutem, eumque potiſſimum latere in corde iunctum cum calido innato, et per arterias in omne corpus profuſum eſſe profitentur. Ecquis vero eſt, qui hac in propoſitione Aristotelis philoſophiam, Hippocratis et Galeni naturam medicam non redoleat?

75) Sprengel Geſchichte d. Medicin Th. 2. S. 280.

Transeamus ad ipsos medicos, iterumque vtamur exemplis, quae huic naturae regulae aliquid auctoritatis addere possint. Si MESUE 76) icterum criticum, id est, ab salutaribus naturae moliminibus ortum appellat, si IOHANNITIUS 77) *virtutem* animalem, spiritualem et naturalem memorat, spiritualem vero putat esse duplicem, *operatiuam*, quae motum arteriarum et venarum faciat, et *operatam*, quae extrinsecus in corpus influat, deinde virtutem illam naturalem intus agentem pro modo et forma operationis iterum diuidit in virtutem pascentem, nutritiuam, immutatiuam et informatiuam, quae sub se, vt species, comprehendat adsimilitatiuam, cauatiuam, perforatiuam, laeuiatiuam et exasperatiuam, si hisce virtutum formis quasi moderatorem statuit *spiritum trinum*, nempe naturalem, qui sumat principium ab hepate, vitalem, qui a corde veniat, animalem, qui a cerebro oriatur, equidem non curo nugas veteres et subtilitates illas barbaras, sed rem ipsam per se aestimo. Et hic loci, ni fallor, spirat natura Hippocratica, sed specie alia!

Si, auctore MESUE 78), *est quidem naturae curare, non medici, medici vero dicimus opus est naturae porrigere*, si ille 79) pro curatione febris ephemerae iubet ea adhiberi, *quae spiritus recti-*

76) RHAS. Contin. VII. 2. p. 161. et 162.

77) Liber ysagoge IOHANNICI ad thegni GALIENI c. libro PHILARETHI de pulsibus et libri THEOPHILI de vrinis, s. l. a. et pag.

78) MESUE c. Expositione MUNDINI super canones vniuersales, Ven. 1508. f. 4. a. et b.

79) Ib. De Febr. f. 245. a.

ficent, virtutes conforteut, et cor alterent, illam perueterem doctrinam nunquam fere apud medicos defiiffe in propatulo eft. Eadem praecepta habet SERAPION. Qui dum diabeten [80]) ab debilitate virtutis renum attrahentis et expellentis nafci, lepram vero ab virtutis alterantis vitio fieri fcripfit, fi more HIPPOCRATIS [81]) *virtus,* inquit, *et natura curant morbos, medicus vtriusque minifter eft, fi naturam iuuenis medici munus praeftiteris,* id certe fine ambagibus verborum colligitur hac aetate nondum apud medicos Arabes periiffe *medicinae dynamicae* memoriam.

Eandem viam RHAZES [82]) docendo ingreditur. Nam fi humores prauos vel natura, vel arte expellendos, fi fudorem pro figno habendum effe cenfet, quod natura vacuationem quandam moliatur, fi virium rationem in venaefectione quam maxime habendam curat, ne plus obfit medicus, quam profit, fi denique iubet haec [83]) facienda et obferuanda, *ligamentum fpiritus cum corpore cum eft debile, ne cum fortibus medicinis deftruas, cum aegrum curas, virtutem naturalem vigora: Si enim vigoraueris ea, aegritudines quam plures remoues, fi vero eam dimiferis, medicinis, quibus vteris, eam deftruis"* etiam hunc

80) Breuiar. Tract. 4. c. 17. p. 14. et Tract. 5. p. 48. vel alio titulo, IANI DAMASCENI Therapeutice Methodi L. VII. ALBANO TORINO paraphrafte, Baf. 1543. L. VI. 17. p. 364.

81) Ib. Therap. L. I. Aph. 23. 24. p. 5.

82) Contin. XVI. 2. p. 341. et paffim locis aliis.

83) Aphorifm. L. VI. De fcient. et intellect. fine quibus rectus medicus effe non poteft p. 540.

auctorem dynamicum medicum fuiſſe dicendum ſine cunctatione profiteamur. Si EBN SINA 84) putat *ſpiritum in corde exſiſtere, per quem permanet vita*, ſi ſimul eandem virium notitiam quauis fere pagina repetit, et cardiaca ſua commendat ad vim illam ſpirituum fouendam ac reſuſcitandam, ne hilum quidem ab magiſtro et duce ſuo, GALENO, receſſiſſe videtur. Si AVENZOAR 85) et cauſſam vitae multis percenſet, et apta docet praecepta, quomodo ea cum integritate humorum diu ſit conſeruanda, id certe hiſce verbis efficitur eum, cum talia noſſet, et commendaret aliis, nequaquam virium naturae fuiſſe ignarum. Si AVERROES 86) cum ARISTOTELE in corde vim vitae ſenſusque reſidere profitetur, ſi ſpiritum in ſemine auctorem procreationis nominat, ſi febris originem deriuat ab calore cordis permutato, cui extrinſecus admiſtus ſit calor quidam putridus, ſi *actiones* 87) *et paſſiones naturales membrorum non fieri ſcribit, niſi propter calorem innatum in ipſis praeter calorem complexionalem, qui eſt in membris conſimilibus*, ſi more Arabum ſolito virtutem 88) appetitiuam, digeſtiuam, nutritiuam, generatiuam, retentiuam, expulſiuam, attractiuam, motiuam, imaginatiuam, cogitatiuam, memoratiuam cet. iterum ite-

84) Canticor. P. 1. Tract. 1. p. 189. in calc. ed AVERROES Colliget.

85) Theiſir L. I. Tract. 9. c. 19. p. 13.

86) *Tomus nonus, in quo Magni* AVERROIS *Cordubenſis — ſeptem libri Colliget, Ven.* 1560. L. III. 3. p. 34. a.

87) Ib. L. II. 7. p. 20. a.

88) Ib. c. 9. a.

rumque repetit, ſi ei *ſanitas* 89) *eſt bona diſpoſitio in membris corporis humani, cum qua ipſam operatur operationem, quam habet agere per ſui naturam, et patitur paſſionem, quam habet pati, ſi aegritudo eſt mala diſpoſitio in membro — propter quam agit et patitur contra naturam,* ex his ſine dubio ſequitur, vt iſtud de vi vitali decretum etiam apud medicos Arabes ſemper viguiſſe atque perennaſſe confiteamur.

VII.

A r a b i ſt a e

Hactenus Arabes, iam progrediamur ad Arabiſtas, id eſt, Arabum aemulos, quos etiam propter ſcribendi genus horridum appellant *latino-barbaros.* Regnabat illis ſeculis philoſophia ſcholaſtica, indigna Ariſtotelicae ſoboles, ſubtilitatum doctarum plena, in diſtinctionibus minutulis tota, verbis obſcuris et concluſionibus contortulis locuples, veritatis iuſtae immemor, vanitate auctorum mire ſuperbiens, ſed abſurdis praeceptis et deliramentis fere clara. Quid ergo mirum eſt, ſi medici eadem ſomnia, quibus in ſcholis philoſophicis erant imbuti, per omnem vitam tenaciter retinerent? Male profecto ſaluti hominum et literarum profectibus conſulitur, ſi falſae et phantaſticae philoſophiae principiis iuuenes temere imbuuntur. Hoc enim idem eſt, ac ſi velimus ſub Pythicis profeſſoribus illos legaliter fieri homines cerebroſos patriaeque inutiles. Aut nulla philoſophia in academiis pro infor-

89) Ib. c. 1. p. 17. a. et L. III. 1. p. 33. a.

mandis ingeniis toleranda eſt, aut talis tantummodo in ſcholis adhibenda, quae ad ſenſum communem, ad vitae ciuilis vſum, et ad diſciplinarum incrementum aliquid faciat. Quid vero vtilitatis ab ea philoſophia ſubtili et implicita capiendum putemus, quae verbis perobſcuris, barbaris et ab ratione ſana fere alienis conſtabat, nugis atque ludicris plena erat? Quid ſperandum ab illis philoſophis, qui formarum ſimulacra, qualitates, quidditates et id genus alia portenta verborum ſectati minute diſtinguebant *vniuerſalia ante rem, in re atque poſt rem?* Quae tandem illa natura corporum eſſe poteſt, quam illi tam ſubtiliter ac operoſe diſputabant, vt, quid ſibi prae ſapientia nimia vellent, ne ipſi quidem ſatis intelligerent? Quam ridicula quaeuis philoſophia cenſenda eſt, quae realiſmum, nominaliſmum, idealiſmum, humidum radicale et nutrimentale, ſub ſpecie veri vbique iactitat, vmbra pro corpore capta? Ad hoc philoſophorum genus illud PETRONII ARBITRI dicterium pertineat, *phantaſia, non homo eſt.* Hi enim vigent in ſuis phantaſmatis, et viguerunt in doctis verborum inuolucris obſcurorum ſcilicet. Tales cum eſſent hoc tempore philoſophi, etiam medicorum turba non poterat ſuis magiſtris et ducibus eſſe inferior. Etiam illis febris erat accidens, non ſubſtantia, neque in mentem illud SENECAE 90) veniebat, *naturam oculis, non ratione comprehendimus, nec cogitamus, quid illa facere poſſit, ſed tantum, quid fecerit.*

Sed redeamus ad exemplorum ſpicilegia, ne philoſophorum more fefelliſſe lectores vanis ac

90) Nat. Quaeſt. VI. 3.

ſpecioſis verbis perhibeamur. Si GARIOPONTUS[91]) in febrium curatione id potiſſimum attendendum eſſe cenſuit, vt, ſi virtutes minus ſufficiant, aegros a principio vsque ad ſtatum largiori diaeta ſubleuemus, ſi BARZIZIUS[92]) debilitatem virtutis in febribus cauendam, et „*ſpiritus ex vino aromatico confortandos* eſſe ſtatuit, *quia vinum aromaticum eſt ipſorum reſtaurativum*" non eſt, quod de doctrinae Hippocraticae perpetuitate dubitemus. Si GILBERTUS Anglicus[93]) febrem eſſe dixit ab calore praeternaturali ortam, qui ex corde per arterias diſpergatur ſpiritus beneficio, ſi more Arabum virtutem expulſiuam, contentiuam, informatiuam et aſſimilatiuam iterum iterumque appellat, ſi ſpiritus illos paullo operoſius, ac opus erat, repetit docteque diuidit, id certe nobis pro indubitato indicio eſt doctrinam de vi vitali tunc adeo inualuiſſe apud omnes medicos, vt, qui contrarium dixerit, ignarus hiſtoriae medicae ſit exiſtimandus. Si PETR. APONENSIS[94]) eadem praecepta de virtute vitali, animali, augmentatiua et nutritiua in differentiis ſuis ſubtilitate percenſet ſcholaſtica, ſi praeter haec quaerit, an calor

91) CARIOP. ad totius corp. aegritudines remediorum πράξεων L. V. Baſ. 1531. De Febrib. c. 15. p. 133. Hic vero libellus nomine alio inſcribitur, *Paſſionarius Galeni*, *Lugd.* 1524. Lib. de febr. c. 15. p. 87.

92) Introductorium in medicinam legenti cuilibet perutile, A. V. 1518.

93) Compend. Medicinae, Lugd. 1510. p. 89.

94) Conciliator Differentiarum enucleatus opera GREG. HORSTII, Gieſſ. 1615. Exerc. 2. n. 55. 57. 58. p. 42. ſeq.

innatus et ſpiritus implantatus a ſe differant, eosdemque ſubiecto conuenire, ſed realiter differre ſtatuit, quatenus calor ſit qualitas, ſpiritus vero ſubſtantia, tunc rem vſu veterem, ſed omnibus cognitam ſuo demum modo explicat.

Si Guil. de Saliceto 95) laeſiones vulnerum vel natura, vel arte perſanatas eſſe profitetur, quid hoc eſt aliud, quam ſi diceret, non profecto nugae ſunt vires inſitae, etiam nos vſu experti dynamicae medicinae ſumus fautores atque vindices?

Eadem fere placita in ceteris Arabiſtarum libris reperiuntur. Sic enim Io. de Gaddesden, vulgo dictus Ioannes Anglicus 96), more Graecorum ephemeram in ſpirituum intemperie ponendam, et in ſyncope 97) *excitationem virtutis, quae veluti ſopita eſt*, faciendam eſſe putat, Arnoldus de Villa Noua 98) humidum radicale primum calidi innati ſubiectum nominat, et, eodem auctore 99) *duplex in corporibus noſtris*

95) In praeſenti libello continentur duo ſingulares et perutiles tractatus, quorum primus eſt de ſalute corporis, quem edidit excell. ac probatiſſ. med. doct. Guilh. de Saliceto — ſecundus tract. de ſalute anime. Hunc — compoſuit Card. de Turre Cremata, Lyptzk 1495. 4.

96) Roſa Anglica practica medicine a capite ad pedes, Papie 1492. De Febrib. c. 5. f. 22. b. vel Praxis medica Roſa Anglica dicta quatuor libris diſtincta — ſtudio Ph. Schopfii, A. V. 1595. L. II. De Febrib. p. 670. et 825.

97) Ib. p. 694.

98) Opera quae edita ſunt hactenus omnia in tomos diſtincta ſex per Gualt. Ruff, Argent. 1541.

99) Breviar. Pract. T. 1. L. III. 3. p. 351. a.

eſt calor naturalis, vnus videlicet, qui in elementis innaſcitur, quem noſtra corpora conſtituunt, vt partes, et iſte calor dicitur potentialis, alius vero eſt in noſtris corporibus calor naturalis, qui actualis nuncupatur, et iſte innaſcitur ſpiritibus et humoribus, vt corpore exiſtentibus. Et cum iſte calor naturalis actualis diſtemperatur, a vitali ſpiritu ſit febris. Hic quidem nec noua, nec indicta prius ſunt, ſed ſcholae, quae tunc dominabatur, verbis ſubtilibus expreſſa.

Eodem modo Menghus, Faventinus [100], tria virtutum genera eſſe ſcripſit, vitalium, animalium, naturalium, et ſimul ſtatuit *principium motus eſſe motum ſubſtantiae ſubtilis ſpiritualis, qui mouet ſpiritum intus et extra*, et vero *ſpiritum* eſſe, *per quem omnes operationes corporis perficiuntur.* Quin et Io. de Concoregio [1]) dixit *ſubiectum febris ephimerae ſpiritus, in quo, tanquam in principio effectiuo, principaliter fundatur ephemera febris*, item alio loco [2]), *ephimera ex ſincopi ſit per viam reſolutionis ſpirituum et caliditatis innatae, — ſi autem haec ſincopes perſeuerat, ſuccedit extinctio caliditatis innatae, et ſinaliter mors*, ideoque ne iſtis quidem ſeculis, quae in media philoſophorum ſubtilitate vulgo dicuntur barbara, prorſum exoleuit medicinae dynamicae opinio.

Iam paucis percenſeamus aliorum auctorum teſtimonia. Adeſt Dinus de Garbo, ſtrenuus

100) Opus de omni genere febrium, Ven. 1536. P. I. De Reb. Natur. fol. 4. b. et f. 5. b. et f. 6. a.

1) Practica Noua Medicine, Ven. 1515. Summula De Curis Febrium, fol. 68. b.

2) Ib. f. 71. a.

calidi innati defenſor, adeſt IOANNES DE SANCTO AMANDO 3), qui medicamenta ex opio, cum *dentur ad conſortationem membrorum*, commode cenſet eſſe exhibenda *in principio morbi*, quia tunc *magis laborat natura*, adeſt BERN. GORDONIUS 4), qui febris hecticae formas ita dividit, vt flammulam vitae pro fonte actionum corporis poſuiſſe videatur, et, eodem auctore, *febris eſt calor innaturalis mutatus in igneum*, isque *dicitur ad differentiam naturalis, qui eſt conſeruatiuus, febris eſt calor corruptiuus, propria paſſio cordis, corde ſuperaccenſo et inflammato, ſpiritus, qui a corde procedunt vna cum ſanguine*, adeſt VALESCUS DE TARANTA 5), qui *febris eſt*, inquit, *calor extraneus, accenſus in corde, procedens ab eo mediante ſpiritu et ſanguine per arterias et venas in totum corpus*, vnaque addit, *effimera eſt febris ex inflammatione ſpirituum*, adeſt denique ANT. CERMISONUS 6); qui iubet *conſortari virtutem attractiuam, digeſtiuam, retentiuam*, et in calculo 7) eſt, eodem auctore, *prima cauſſa debilitas expulſiuae virtutis veſicae*. Haec vero praecepta ita comparata ſunt, vt ſine verborum ambagibus eosdem medicos vere dynamicos fuiſſe dicendos concedamus.

3) Expoſitio ſuper Antidotarium Nicolai, fol. 347. a. in ed. MESUAE.

4) Tabula Practice BERN. GORDONII dicte Lilium Medicine, Ven. 1496. Part. 1. c. 1. p. 1. b.

5) Practica que alias Philonium dicitur vna cum Io. DE TORNAMIRA Introductorio, Lugd. 1516. L. VII. 1. p. 349. b.

6) Conſilia CERMISONI, GENTILIS, — Ven. ſ. a. fol. 48. b.

7) Ib. c. 10. f. 36. a.

Denique agmen ducat MARSIL. FICINUS 8), philoſophus et medicus ſua aetate clariſſimus. *Vita, inquit, tanquam lumen, in naturali calore conſiſtit, caloris vero pabulum eſt humor aereus atque pinguis, quaſi oleum. Siue igitur humor eiusmodi forte deficiat, ſiue prorſus excedat vel inquinetur, calor naturalis ſtatim debilitatur, et tandem debilitatus exſtinguitur, ſi humoris defectu calor debilitatur et perditur, mors reſolutione contingit, ſi potius obruitur humoris exceſſu vel vitio, vita ſuffocatione perit.*

Sufficiant illa de vi vitali fragmenta, claudamus turbidos doctorum riuulos: Sat enim nugarum ſubtilitatumque ſcholaſticarum prata noſtra biberunt. Sed quaenam hinc facienda eſt concluſio? Ex quo medicina vſu et ratione tractata et ſcriptis medicorum veterum conſignata legitur, primarium quaſique commune eius decretum per omnia fere ſecula illud fuiſſe videmus, eſt corporibus animantum hominumque ingenerata quaedam vis, quae ſuſtineat vitam et ſanitatem integram, quae morbos imminentes auertat, praeſentes curet, medici vero in arte agitanda erunt quam maxime felices, ſi has naturae leges bene cognitas perſpectasque habeant, atque hanc normam in curandis aegris apte perſequantur. Non ergo vanum, non praeſumtum erat HIPPOCRATIS placitum, *natura eſt medica;* Semper illud in ſcholis medicorum viguit atque vigebit, modo nugari aliquando deſinant, ſemper *medicina dynamica* et theoretice, et practice animis medicorum inhaeſit, eaque via fallaces

8) De Vita Libri III. Baſ. 1529. De Vita Producenda L. II. 2. p. 52.

effugerunt ſcopulos, quibus adliſa hominum ſalus perderetur, ſequamur ergo ducem atque magiſtrum hunc medicinae parentem et principem in obſeruando et medendo, neque nobis tunc ex arte fama et gloria, nec ſanis valetudo bona et integra, nec aegris reſtituta, infirmis leuata, conualeſcentibus ſalua in poſterum deerit.